



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...**

In Dominicas totius anni

**Schrötter, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1688**

XVI. In Domin. II. Quadrag. Apparuerunt ei Moyses & Elias, loquentes cum  
Jesu. Matth. 12. Arg. Comitia Thearchica.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56320)



## CONCIO XVI.

IN DOMINICA II. QUADRAG.

Apparuerunt eis Moyses, & Elias loquentes cum JESU.  
matth. 12.

## ARGUMENTUM.

Comitia Thearchica

**C**onventum toto orbe, cæloque celeberrimum hodiernum nobis re- vocat Evangelium. A. Conventum, quem meliore fors Calepino dixerit Comitia Electoralia, in quibus Princeps Orbis nominatur, ac promulgatur. Comitia, in suis constitutionibus in perpetuum æternatur. Comitia, inquam, in quibus Pater æternus, tanquam Primas Primatum præsidet; Christus more Veteri in vestibus albis candidatus proponitur; Moyses, ac Elias perinde ac Assessores assistunt; Apostoli, seu quod idem est Nuntii, Legatorum munere funguntur. Et cum non nisi tres orbis partes tum essent cognitæ, Asia nimirum, Africa, & Europa; Petrus nomine Europæ adesse videtur, quia Romana in Arce suam sibi sedem constituit. Joannes ex Asia de quo S. Hieronymus, 10-

tius Asia, fundavit, rexitque Ecclesias. S. Hier. de Auth. Eccl. Jacobus monstrum sanctitatis habitus, in persona munstrifera comparat Affricæ. Quis est, qui non gestiat tam sancto, tam stupendo, tam divino interfuisse conventui? Quis non ambiat eorum Senatorum excipere sententias? Quis non ardeat eorum minimum auscultare decreta. Horum votis velificaturus sententias singulorum in Evangelii strictè conceptas, paulo disertius explanabo. Cedit id ad Majorem inaugurati Regis gloriam, & nostrum spiritualem profectum.

## PARS PRIMA.

In qua vota adducuntur.

§ I.

Votum Patris æterni.

II. Primum summatis, summatum

omni-



otanium Principis, Patris, inquam  
 æterni votum erat, quod brevibus  
 strinxit in hodierno Evangelio Can-  
 cellarius ipsius: *Hic est Filius meus  
 dilectus, ipsum audite.* Multi-  
 fariam hactenus, multisque  
 modis locutus sum vobis in patribus  
 per Prophetas meos. Sed eheu furda  
 ferè temperaure auditus sum ab eis.  
*Obcuraverunt enim aures suas, & a-  
 verserunt scapulas recedentes.* Recan-  
 tatum illud Itala Vatis identidem,  
*Manda, remanda, mandaremanda.  
 expecta reexpecta, expecta reexpecta,  
 modicum ibi, modicum ibi.* Jam post-  
 hac in ipso Dilecto loquar, vobis Filio  
 meo, quatenus tantò plus ponderis  
 ejus verba apud vos habeant, quan-  
 tò sublimioris is est Celsitudinis, ac  
 Majestatis. Ipsi dabo Gentes in hæ-  
 reditatem, & Reges in possessionem;  
 Ipsum adorabunt universæ familiæ  
 gentium, & ipse curvabitur omnege-  
 nu. Si queritis, quis ille sit, *hic est  
 JESUS, Filius meus dilectus, in quo  
 mihi bene complacuit. Hic est Filius meus,  
 cui ex me, & mecum esse sine tempo-  
 re est, qui nec Genitor genitor prior, nec  
 Genitus Genitore posterior. Hic est  
 Filius meus, quem à me non sepa-  
 rat Deitas, non dividit potestas, non  
 discernit æternitas. Hic est Filius  
 meus non adoptivus, sed proprius,  
 non aliunde creatus, sed ex me ge-  
 nitus, nec de alia creatura mihi factus  
 comparabilis, sed de mea essentia mi-  
 hi factus æqualis. Hic est Filius meus,  
 per quem omnia facta sunt, & sine  
 quo factum est nihil, qui omnia quæ  
 ego facio similiter facit, & quidquid  
 operor, una mecum indifferenter ope-*

ratur, *Hic est Filius meus, qui eam,  
 quam mecum habet æqualitatem,  
 non rapina appetiit, nec usurpatione  
 præsumpsit, sed manens in forma  
 gloriæ meæ, quatenus ad redimendum  
 genus humanum, commune exequere-  
 retur consilium, usque ad formam  
 servilem inclinavit in commutabilem  
 Deitatem. Hunc ergo, in quo mi-  
 hi per omnia complaceo, cujus præ-  
 dicatione manifestor, cujus humilitate  
 clarificor ipsum audite, ut præcep-  
 torem, docturum vos verba vitæ, ac  
 disciplinæ, ipsum audite, ut Pastorem,  
 ducturum vota ad uberrima ipsum audite,  
 tanquam Ducem, contra hostes vestre  
 dimicantem. Ipsum audite, perinde ac  
 Regem subditis imperantem, &  
 mandata ejus prona devotione susci-  
 pite. Audite qui hactenus à matre  
 vestra edocti, serpenti, malefana in-  
 sufflanti, aures præbistis. Audite  
 qui antehac carni & sanguini obse-  
 cundantes post concupiscentias ve-  
 stras ivistis. Audite, qui mundum, &  
 pompas ejus amplexi estis. Ipsum au-  
 dite; cujus sacratissimæ humanitati  
 indulsi omnipotentiam ad patranda  
 prodigia qualiacumque, & quando-  
 cumque liberet, Bonitatem, ac Mi-  
 sericordiam ad condonanda peccata;  
 Sapientiam, ad docendum, & dis-  
 cernendum; aliæque attributa com-  
 municavi, ad ipsum magnifican-  
 dum. O verè felices, ac beatos,  
 qui ab ejus ore pendent, eique in  
 omnibus obsecundant. O plus-  
 quam felices, qui hoc domino gau-  
 dent, eique morem gerunt. Nam  
 si Politicorum hominum apophetege-*

Matth. 7. v. 10

Isa. 28. v. 10

Matth. 12. 8  
 Leo hom. de  
 Transfig.

Christo D.  
 obtemperan-  
 dum

Christus au-  
 diendus

R 3

mate



Sap. 17. v. 12.

mate, regnum illud felix, ubi aut Philosopharentur, aut reges philosopharentur; quanto felicius istud, ubi ipsa Sapientia increata, & incommutabilis flectet habenas. Si felix Jerosolyma Salomone, *Quoniam antecedebat eum Sapientia*; quanto fortunatius istud, eo regente, qui sexcenties eundem prudentia, & Sapientia exuperat. Si felix imperium, aut Respublica ubi virtuosi, ac pii imperant; quanto felicius ubi ipsa Virtus, ipsa Sanctitas effulgebit luce, & exemplo. Si beatum, ubi pacifici; (quoniam nulla tam dives aurifodina, nulla India, nulla Arabia tam ferax metallorum, atque pax regni) quanto beatius istud, cui ab ipsis incunabulis pax decantata, & proclamata est. *Et in terris pax hominibus bonae voluntatis.* Si suavissimum onus regni, ad quod vehementius subditi invitantur exemplo, quam urgentur imperio; quanto suavius istud, ubi necquicquam docebitur verbo, quod non fuerit comprobatum exemplo: nec alia imponit ipse Rex subditis onera, quam quae prius humeris suis succollaverit. Itaque hunc candidatum Filium meum tantis donis, & gratis ornatum, Doctorem vobis trado; ipsum Regem Regum, & Dominum regni mei jubeo, & enuntio, ipse vivat & regnet per saecula. *Ipsam audite.*

## § II.

*Votum Senatorum Moysis,  
& Esae.*

III, Gratissimum, acceptissimum;

que votum hoc Grandibus Empyreis Moyse inquam, & Eliae accidit. Perspiciebant enim nihil à Deo O. M. posse conferri dignius, nihil accidere posse humano generi utilius, honorificentiusque. Verum modus obtinendi diadema designatum, perquam arduus, ac periculosus videbatur. Pendebant enim probe non patere praefato Candidato viam ad coronam, praeterquam per mare rubrum, ac proprii cruoris diluvium. Eam ob rem dicebant excessum ejus (nempe passionis illius, Luca contestante) & his similibusque verbis sententiam tuam edicere.

Nihil sanè æquius, sanctiusque, nihil humano generi utilius, quam ut tali Praeceptore imbuatur, illeque imparet, & cuncti ejus obsequantur edictis, quem ut ipsa Divinitatis incunabula, & virtus, ac sapientia aspectabilem, commendabilemque reddidit. Verum, ut video, Candidatus hic purpuram prius non induet, quam eam sibi proprio cruore tinxerit. Novimus enim perbelle adversarii ipsius, quanta sit potentia, quanta possessio. Si minimam hanc orbis provinciam excipimus, totum quantum, quod superest, obtinet. Illi genua lunat Europa, illi poplites flectit Asia, illi thura adolet Africa & America; illi Oriens, Occidens, illi Aquilo, Meridies procumbunt, & sub illius castis gemit aequè Dominus ac servus nobilis & ignobilis, politicus & barbarus.

Luc. 9. 35.

Ad regnum  
per crucem  
itur.



Insper chyrographum deditio-  
nis ac servitutis sempiternæ , per ino-  
bedientiam conscriptæ tenet , quod  
non nisi sanguine, eoque copiosissimo  
elui poterit. Proinde si iustitia magis,  
quam potentia Tænarium principem  
detriumphare intenderit, ea utique in  
se recipere onera , ea nomina exolvere  
obstrictus iudicabitur , quæ ipsi sub-  
diti contraxerunt. Hæc verò quum  
& contemptum, & confusionem , &  
dolorem, imò & mortem post se  
trahant , iisdem certè & Candidatus  
noster obnoxium se reddet.  
Desudandum itaque illi erit usque ad  
sanguinis profusionem , utque ad fla-  
gra, scorpiones; usque ad corporis &  
animæ divisionem. Tolerandi illi ca-  
tenæ, & vincula , perrumpendi tribuli  
& sentes, crux ipsa perferenda. Id ve-  
rò indignum tanto capite , Judæis  
scandalam , Gentibus stultum & visu,  
& auditu futurum.

IV. Ad quæ illico Candidatus  
noster : Exerras toto cælo  
mi Moyses , dum novo Calepino pla-  
gas dedecus, & ignominiam interpre-  
taris. Privilegium id, amoris obti-  
net imperium, quod nihil vilescat,  
quidquid ex amore suscipitur. Nec  
quicquam indecorum , quod benefi-  
cium est, commendante ipso amore, ac  
beneficentia demissionem. An ergo  
excellens amor, ac benignitas homini  
exhibita erit indecora , aut se perdet,  
quia lucratur universos. Decorum e-  
rat vel ethnicorum iudicio Codro  
principi, pro populo suo sanguinem

fundere, honorificum Romanorum  
Regulo , tormenta sibi à Carthagi-  
nensibus destinata , invicto animo  
suscepisse; nec ultimo crucis supplicio  
deformata ejus majestas , sed multo  
augustior reddita. Gloriosum erat  
Machabæis , aliisque pro patria ani-  
mas ponere; & minus admirabile, mi-  
nusque virtuosum fuerit, pro univer-  
so vindicando populo mihi emori? Mi-  
nus profectò deperirem genus huma-  
num, nisi etiam vulnera pro eo suscipe-  
rem; nec vim dilectionis meæ osten-  
derem , nisi hoc , quod amicus pro  
amico tolerat, ad tempus sustinerem.  
Minus æternæ gloriæ præluderem , si  
leviora quæque tantummodo perfer-  
rem, Grandiora vulnera insignioris &  
patientiæ , & benevolentæ sunt argu-  
menta. Tantumdem itaque mihi de-  
cedet gloriæ , quantum pœnarum;  
tantumdem itidem accedet, quantum  
mihi cōdensabitur suppliciorum. Insos  
enim quotquot cruciatibus atteritur,  
totidem per patientiam meritorum, &  
coronarum præmiis cumulatur. Ne-  
mo proinde meæ, sed suæ indoleat cu-  
ticolæ, qui nō una sed vel millena mor-  
te defūgi sum paratus. Tu quæso Pater  
amantissime Clarifica Filium tuum  
claritate, quam habui priusquam mundus  
fieret. Clarifica per vulnera, per san-  
guinem , per mortem atrocissimam.  
Clarifica per opprobria, spūta, irrisio-  
nes; clarifica per quidquid dirum, &  
crudele est, ut sciat mundus, quoni-  
am diligis me, & ego te. Dixit , &  
toto ratum stetit senatui.

§ III.

Pati inno-  
center glori-  
osum

Ioan. 17. 1.



## §. III.

*Votum Apostolorum seu Legatorum.*

V. At verò non Item internuntijs, Princeps ac Marscalcus ipsorum Petrus palam protestare contra ausus est, & dicere: Nequaquam hoc ita fiet: *Bonum est nos hic esse, Faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, & Elia unum.* Quid prodest tibi Christe mundum universum possidere, & animam Letho dare. Quid prodest occupare multa, possidere nihil. Quid profuit Machabæis nostris, aut alijs nundinari nomen, & mortem hereditare. Nonne te etiamnum reverentur summi æquè ac infimi? domestici & externi? Nonne tibi obsecundant ægotationes? Nonne se tibi substernit Oceanus, & conjurati veniunt ad classica venti? Nonne te tremunt Erebus, & ad nutus tuos emancipat, quos longo tempore captivos tenuit?

VI. Cyneas Philosophus, quum Pyrrhum Epirotarum Regem Italiæ imminere cerneret, fretus ingenij dexteritate, posse eum de sententia deduci, ait ad ipsum. Si dii faverent nobis ad eò, ut victoria potiremur, quid quæso nobis ultro agendum putares? Respondente Pyrrho se tunc cum Romanis militibus in Siciliam trajecturum. Tum Cyneas: His etiam devi&is, quid ultra ageretur? Affricam trajiciemus, inquit Pyrrhus. Cui Cyneas; sed his demum partis, quibus rebus tempora nostra transigemus? Tum Pyrrhus, Læti inquit inter festos dies, ludosque age-

mus. His auditis scitè intulit Cyneas: Quis prohibet sine tantis laboribus, ac periculis, quin vel hæc ipsa hora, quum tu magnus, & opulentus Rex sis, lætè insimul vivere, ludosque celebrare? Huic si Pyrrhus intendisset, neque in Italia vulnus accepisset, neque ab Argis postea oppressus vitam amisisset. Id ipsum ego recanto. Quid quæris ô Domine, per pericula, per vulnera, quod citra illa jam obtines? *Bonum est nos hic esse.* Mons hic undequaque amœnus est, campi circum quaque uberes, silvæ ipsæ fructiferae, valles irrigui. *Bonum est nos hic esse, præculnempe extra teli jaculum, extra incurtus malos; cū amicis electis, in quiete morari optima, Bonum est nos hic esse, in tanta tua gloria, potestate, majestate, si vis faciamus hic tria tabernacula tibi unum, Moysi unum, & Elia unum.* In his commoremur, jubilemus, & exultemus; in his tu dominare, nos ancillabimur; tu impera, nos parebimus. *Bonum est nos hic esse.*

Ad eundem modum sæpiuscule nos in damnum nostrum arguti esse conamur; respicimus non fines ultimos sed proximos; pereat licet in anima servus, pereat familia, pereat filius, dummodo parenti sit bene in temporalibus.

VII. Audite hæc patriæ Zelosissimus Senatorum Elias, & impar ferendo non sine sulphure inscitiam Petri redarguit. ) *Nesciebat enim quod diceret Luca teste. ) Luc. 9. v. 4.*  
Ulque-

Matth. 12.]

Plutarch.  
in Vita PyrrhiEunorum  
manitas



Ulsquequò Petre abuteris patientia nostra? usquequo tuum *bonum est nos hic esse* recantatis? An ignoras fluxa hic esse uniuersa? Nonne prospicis huic monti vallem miseriarum esse contiguam, & agnatum? Vel etiamnum telatet, Christum venisse ad redimendum genus mortalium? Ergo è fluxis & transitorijs huius cor appones; quæ ut affluunt, sic refluunt? Itane corneo oculo extremam fratrum tuorum cathastrophea intuebere? Itane mundum perire gestis, ut ubi soli sit bene? Non est hæc vox hominis Deum amantis; sed secretum ambientis, suamque cuticulam curantis. Nec potest hic esse secura statio; ubi itentidem depræstantur Aquilones, ubi regnat egestas & miseria, ubi longo ordine sua poluere cubilia curæ.

At inquis: *Faciemus hic tria tabernacula.* Videlicet, ut perinde ac Tartari sub tentorio habitemus; Videlicet, ut veluti Jonas ruinam non urbis unius, sed orbis de supercilio hoc intueamur, *Faciemus tria tabernacula;* ut instar tabernæ sint, in quibus edamus, bibamus, epulemur, quamdiu cœleste mustum defluit. An non satis tibi Deus habitavit in tentorio, & tabernaculis, cum nulla illi ædes sacra erecta esset? An nescies breui hoc tabernaculum tuum, perinde ac Jonæ hederam aridum evalurum? & tum quid facies? Cur non Satius meditaris basilicam Romanam, non palatium Pon-

tificium? Cur non porticus Vaticanas? Orbem, & Urbem cogita, ibidemque sedem fige in concussam. Vel cur non satius mentem reflectis ad superna, & cum coronato Vate occinis: *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit, & deficit anima mea in atria tua Domine.* Cur non cum eodem ingeminas? *Melior est dies una in atrijs tuis super millia?* Cur non item? *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vite mee.* *Ibi bonum est nos esse,* ubi vivit in tuto anima, in felicitate pectus, in delitijs sensus, in quiete voluntas. *Ibi bonum est nos esse,* ubi non approximant dolores, fugantur pœnæ, mors exulat. *Ibi bonum est nos esse,* ubi amœnitatem loci nimius haud excipit æstus, flores Autumnus haud spoliat, æternam ejus viriditatem contingere hyems haud præsumit. *Ibi bonum est nos esse,* ubi non est arrogans, qui nos despuat, non est avarus, qui rapiat; non est formidabilis, qui minetur, non est æmulus, qui incommodet, non est inimicus, qui damnificet, non est adulator, qui palpet, &c. Ibi ædifica sed mansionem æternam, non tabernacula, quæ hinc inde transferas. Illuc enitere, vel per spinas, & tribulos. Non enim est mollis ad altra via, non rosetis, sed salicetis amœna, aspera est, & confragosa, nec pede Tenero calcanda. Illuc commitare, si verus est discipulus Magistrum præeuntem, & ducem.

His dictis coronis imposta

§

est

Torrens  
cuncta ca-  
dunt

In celo non  
nisi bonum  
est esse

Psal. 83. 2.

Psal. 26. 4.

Beatitude



est comitiis, cunctis in vota aeterni Patris concedentibus.

## PARS II. Constitutiones explicat.

### §. I.

#### Decretum I.

VIII. Sed numquid nullæ constitutiones, ut fieri assolet condite? Quin imo.

*Christus  
ipse mediator*

Et prima quidem ex voto Primatis Primatum, ut deinceps sub interminatione, & honorum omnium, & vitæ dispendio Christum in Dominum, ac unicum Assertorem ac tequestrum reciperimus.

*AR. 4. 12.*

Hoc consignavit subinde Cancellarius ipsius Lucas in Actibus Apostolicis ita scribens: *Non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Id est, non est alius, quam JESUS Christus, quæ invocare, ut mediatorem salutis debeamus, & in cujus invocatione & virtute salvemur.

*Rom. 3. 23.*

Hinc graves Theologi docent post promulgatum Evangelium omnibus hominibus ad salutem; id est ad justitiam, & felicitatem aeternam acquirendam, necessariam esse necessitate mediæ, fidem explicitam in Christum, *Hunc enim proposuit Pro-mi-atorem, per fidem in sanguine ipsius.* ait Doctor gentium. Hunc, (qui est principium, & finis operum divinorum) pariter principium actionum nostrarum, ac finem habendum.

Quod sanè perarduum neutiquam accidet, cogitem? Angelos si bonos effi nec eorum naturam assumpserit, nec suum pro iis sanguinem fuderit; aut pro eorum salute mortem oppetierit; tamen pro illo dimicasse in cælo sub Michaelè Primatè, & illi primum nato applausisse, lætitiâ inenarrabili exultantes, ac triumphantes; illi esurienti tanquam dapiferos in eremo ministrasse, agonizanti in horto adstitisse, mortuum amare dessevisse, resurgenti sincero affectu, in candida veste congratulatos esse, illi in cælos scandenti sese substravisse, & omni in loco cultu Latreutico deveneratos esse. Item si perpendamus fulminatos Genios, ab pertinaciam suam cum suscipere nolentes, eundem tamen agnoscere, & adorare in inferno, ad solum ipsius nomen pro-cumbendo, & genua flectendo. Quidni igitur & nos jure meliore eundem adorabimus, pro quibus & carnem sumere, & pati dignatus est. Si quis Regum terrenorum filium suum, & hæreditarium, legitimumque terrarum omnium principem, ac Dominum iisdem proponeret, ipsi juramentum dicturis; quo animo conjicite accepturus esset, si quem nationes exteræ Regem agnoverunt, eique homagium præstiterunt, incolæ ipsi, populi que subjecti pro tali habere recusarent.

Eodem futurum credite in nos DEum Patrem, si Filium ipsius, eo, quo par est cultu, reverentia, ac amore prosecuti non fuerimus. Vel quod deterius est, si illos de Evangelio agricolas imitati,  
(qui



qui in heredem, & charissimum filium debacchati sunt,) apprehenderimus, extra vineam (cordis nimirum) ejecerimus, vel omnino peccati culpe confixerimus. Vel ut loquitur S. Paulus Apostolus: *Filium Dei concalcaverimus, & sanguinem testamenti pollutum duxerimus.*

Verum hæc aliis sint dicta, non vobis, qui eundem Regem gloriæ omnibus aliis præferitis; & millies occumbere, quam eundem offendere, aut dimittere præoptaretis.

## § II.

*Decretum alterum.*

IX. Secundum est, ex altero senatorum voto decretum desumptum, & ab eodem Cancellario S. Luca actum, Ut ita dicam, contributio, oppressio, seu afflictio. Nam ut Christus Dominum, ita nos membra ipsius; *per multas tribulationes oportet intrare in regnum cælorum.* Et ut Apostolus scribit *si compatimur & conglorificabimur.* Decet enim membrum esse delicatum sub spinoso capite. Si Christus duntaxat imperasset, quid faciendum esset, quantumvis ipse exemplo, non prævisset deberemus exequi, quanto magis cum ipse primus fecerit; & fecerit, ut nos æmulemur; nec tantum dixit, sed laudavit & prædicavit, afflictiones illæ acceptandæ, imo & inquirendæ erunt. Si Vatum quispiam ore Dei nobis retulisset, nullam inveniremus excusationem fugæ, quanto minus, quam ipsa sapientia Prophetarum, & Os

Dei exaggeraverit, & in se perfecit.

Si non oporteret nos pati, exemplaris vita JESU omnino otiosa fuisset, & supervacaneus rigor, in passione imprimis toleratus. Etenim certum, & in dubium est potuisse nos unica sanguinis sui guttula, quin & mundos infinitos redimere; ut quid ergo tanta tamque crudelia sustinuit? Cur DEUS Pater voluisset tantopere affligi & excruciaci Filium suum Unigenitum? Num fortè tam impius, & crudelis est, ut pascatur sanguine dilecti filii sui? At animalia effera quantumvis, & sævissima, pietissima sunt ergo factus suos; quãtò magis clemētissimus, & misericordissimus DEUS in Filium suum? Quid ergo? Ratio princeps erat, quatenus tanto exemplo duceremur ad ejus imitationem, odioque habendum peccatum.

Ipse nimirum, qui optimè iter cæli perspectum habuit, (*Nemo enim ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo Christus IESUS.*) ipse nobis rectissimam, securissimamque monstrare intendit. Non fecit bonus JESUS, prout rusticorum nonnulli faciunt? qui digito, aut verbis demonstrant viatoribus iter; ipsi tamen manent, & recumbunt domi suæ, quieti, nec deinceps solliciti sunt, an errent viatores; sed ipsemet præcedit docens verbo, & exemplo. Cur itaque præeuntem non sequimur? An putamus nos erraturos Sapiencia duce? aut perituros præeunte Salvatore? Quisid sibi imaginetur? Restat ergo, ut eadem viæ insistamus, & si vel immoriendū in ea sit, eam ipsā persequamur.

Math. 21. 33.

Heb. 10. 92.

Patiendum cum Christo

Luc. 14.

Rom. 8. 18.

Via cæli  
SUA

Ioan. 3.



## § III.

*Decretum tertium*

X. Postremum præsentium Comiti-  
 tiorum statutum est, ne commodis ter-  
 renis posthabeamus cœlestia, & tran-  
 sitoria æternis. Non enim bene con-  
 sultum est hic thesaurizare, ubi tinea,  
 & arugo demolitur; non est bonum  
 struere, & ardua moliri tecta super  
 arenam, quæ à vento tollitur? vel supra  
 glaciem, quæ facile liquefcit? vel in aere  
 vanitatis, qui omni momento mu-  
 tatur. Timendum summopere est, ne  
 dum terrena dilatamus, cœlestia ta-  
 bernacula minuamus. Tantò enim  
 minus capaces reddimur illorum,  
 quantò propensiores ad ista inveni-  
 mur. Timendum itidem ne dum  
 mordicus his affixi fuerimus; in ex-  
 tremis avellere præcordia ab iis mini-  
 mè valeamus. Timendum, ne dum  
 indies profundiora hic manendi fun-  
 damenta fodimus, ad Tartarum ipsum  
 iter nobis planius expediamus.

*Beatitudi-  
 nis bona*

Non est itaque Bonum nos hic esse,  
 ubi pericula, ubi morbi, ubi infectatio-  
 nes, ubi continua, ibique succeden-  
 tia mala sunt, &c. Ibi, ibi, beatum est  
 nos degere, ubi non vexat cupiditas,

non insidiatur invidia, non deventu-  
 stat detractatio, non fatigat odium,  
 non timetur vindicta, non molestat  
 ambitio, non suspendit expectatio;  
 non debilitant morbi, non premit  
 fames, non affligit sitis, non alia ter-  
 rent pericula. Ibi, ubi bonum est nosse,  
 ubi est fons omnis Bonitatis, ac Bea-  
 titatis, radix bonorum omnium, finis  
 desideriorum, & initium bonorum  
 omnium. Illuc conitendum, si salvi,  
 si sospites, si beati esse intendimus.

Quid nos ad ista? Num reclamabi-  
 mus? Non consentio. Num protesta-  
 bimur? Ali frustra. Conclusum, at-  
 que sanctum est, absoluto Dominio,  
 & potestate, nec mutari potest. Ac-  
 quiescamus itaque decretis optimis, &  
 sanctissimis; confidamusque, si iis  
 steterimus, beatitatem, & pacem tam  
 temporalem, quam æternam obtentu-  
 ros, ac possessuros.

Tu ò Pater æternæ, qui dilectum  
 Unigenitum tuum, hæredem gloriæ  
 tuæ Angelis, & hominibus adorandum  
 proposuisti; eundemque ducem, ac  
 doctorem proclamasti; da ut nullum  
 præter illum Dominum agnoscamus,  
 ipsius imperiis acquiescamus, non  
 fugacia, sed sempiterna taberna-  
 cula struamus, & pos-  
 sideamus. Fiat.

